

nihil elabatur, praesertim in tali genere, quod tam multis, saepe parvis observationibus constat. Ita natum est modicum corpusculum praceptorum, quod nunc, ut laborem scribendi studiosis demerem, et tempus, quod dictando in lectionibus absumitur, lucrarer, diligentius structum et excultum, literarum formulis exprimendum tradidi.

Cum ipsum opusculum sit ad cognoscendum ita breue, ut ordo rerum et modus tradendi ab unoquoque facile cognosci possit, superuacuum foret, de eo separatim dicere. Nec meum est, homines docere, quid noui, quid boni insit huic libello, quod noui semper scriptores in praefationibus solent, etiam modestiam praefati, vanissime facere, credulos lectores se nacturos sperantes.*) Hoc scio, et vere dicere possum, me primum cauere uoluisse, ne absoluta decreta, quos vulgo etiam Canones vocant, scriberem, deinde laborasse, ut ab veris observationibus praecepta ducerem, eaque eiusmodi, quae certam et perspicuam notam et quasi ansam veri tenendi haberent, et usum certum ac facilem redderent. An consecutus sim, quod volui, aliorum iudicium

*) Caeterum, si quis summam libelli et rerum breuiter expressam legere cupiat, Bibliothecam nostram theol. adeat Vol. III. p. 3. sqq.